

www.e-rara.ch

Caii Svetonii Tranquilli Opera Quæ Exstant

Suetonius Tranquillus, Gaius

Basileæ, M DC LXXV

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-25541>

Praefatio

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



P R Æ F A T I O.



HEMERITATIS hæc levis reum me ipse peragerem, si tot tamque graves viros, qui in Suetonio nostro, suis sive notis sive commentariis exornando, feliciter desudârunt, quicquam omisisse censerem eorum quæ ferulam censoriam merita videri possent. Erant enim illi non græcorum tantum latinarumque literarum peritissimi, & in scriptorum Veterum monumentis multum ac studiosè versati, sed & codicibus antiquis, regiis, Viterbiensi, Petaviano & pretiosissimo illo Memmiano, quem Turonensem vocant, suffulti; quibus præsiidiis omnibus nos destituti, quæ cornicum oculos configere & actum agere frustraneo conatu adlaboraremus? In primis verò CASAVBONS, amor ille & deliciae Musarum, tam præclare spartâ hæc defunctus videtur, ut post eum simile quid ad hunc Autorem meditari, nihil esset aliud quam post Homerum Iliada scribere. Quod non meum tantum, sed Litteratorum omnium, & inter hos magni Scaligeri est iudicium, qui

lib. 1. Ep. 29. Nihil, inquit, vidi absolutius commentario Casauboni in Suetonium. Ut taceam, jam reliquam doctorum turbam TORRENTIVM Antuerpiensem Episcopum, BEROALDVM, SABELLICVM, PVLMANVM, ERASMVVM, GLARLANVM, URSINVM, LIPSIVM, VINETVM, EGNATIVM, GRVTERVM, qui omnes multum operæ, nec infelici successu, in illustrand. hoc Autore insumserunt. Et nuper adeò, politicis, iisque doctissimis Dissertationibus, BOECLERVS, eruditissimusque pariter GRÆVIVS, eundem ita locupletavêre, ut frustra sit, quicumque novum lumen accedere posse sperat. Ego quamvis meæ tenuitatis satis conscius tot clarissimis nominibus meum interferi nec ambiam nec patiar; non abs re tamen fore existimo, *emendatissimo scriptori*, ut Vopisci verbis titar, facem ex antiquis NUMISMATIBVS præferre; neque rem tanto Autore tantivæ exornatoribus indignam facturum me spero, si opes istas è terræ visceribus hosce in usus eruero, aut in cimeliarchiis jam pridem delitescentes in scenam omni de cætero apparatus instructissimam & publicum litteratorum Amphitheatrum produxero. Nam & industriæ TORRENTII, qui in hac eadem arena sudavit, si ego adjicere nihil potuero; at multa certè sæculi defluxus adjecit. Quæ præter istud consilium scripsero, adeò erunt exigua, ut nec laudem nec reprehensionem à quoquam facile sint promeritura.

Et siquidem à lectione Casauboni, quem aliàs præcipuè secutus sum, nonnunquam descivi, neq; tamen ideo manes ejus mihi iratos suspicor, ubi deprehendent, me nonnisi gravi & necessaria de causa quidpiam, & vel leviculum.

leviculum, idque paucis in locis, admodumque sobriè immutâsse. Indicem ejus transcripsi, quo nullus alter utilior mihi visus est. Alterum adjunxi, sed nonnisi **NVMISMATVM**. Potuissem & tertium concinnare verborum & rerum, nisi me Virumque doctum idipsum suadentem terruisset opportunè nobis objectus liber, etsi exiguus, **SEPTEMPLICEM INDICEM** in titulo arguens, majusque præbens ipso pisce condimentum. Et quò faciliùs comprehenderetur sex priorum Cæsarum progenies tabulam eorum adjunxi genealogicam, quam longè ampliorem efficere potuissem, repetitâ **JVLIORVM** origine, de qua in Famil. Romanis dissertatum est, nisi directus meus ad Suetonium labor cætera omittere jussisset quæ ad ejus intelligentiam non faciunt, principio à Dictatoris patre, tantum ducto. Neque porro susceptum istud consilium adeò facilè fuit exequi, matrimoniis frequentibus, repudiisque hùc & illuc easdem personas collocantibus, ideòque aliquoties repetitas. Studium meum in eo præcipuum fuit, ut Autoris nostri lectionem ut faciliorem sic jucundiorè efficerem ad motis cuicunque articulo numeris paginam ad quam referuntur indicantibus.

Ne quis porro miretur **NVMISMATVM** nostrorum quæ Suetonio intulimus copiam; sciat velim, me illam longè uberiorè, & accuratè quidem ex prototypis delineatam, cum ex musæo nostro, tum ex alienis cimeliariis exhibere potuisse. Neque enim dissimulare possum, me à teneris, quod ajunt unguiculis, Historiæ operam navasse, quam jucundissimam *vite magistræ*, cum Cicerone novi: iis autem præcipuè delectatum

)((

monumentis quibus ea à fabulis, commentitiisque
traditionibus dignosci posset. **NVMISMATIBVS**
autem, quòd eorum fidem nil vel æquare vel superare
deprehenderem operam dedi supra cætera, atque genio
meo indulgens quàm maximè, rei familiaris partem non
exiguam comparandis hisce gemmis lubentissimè concessi
Tantum abfuit ut me impensarum pœniteret, flagrantem
voluptate, ut vel ipsa Felicitas beare velle meos conatus
generosiores videretur, objectis hinc inde dono partim,
partim pretio satis honesto, nummis præstantissimis:
Et prorsus Illa fecisset, nî malevola Ibis (sic Ovidius suum
calumniatorem velat) laborum meorum messem
prævertisset, & ferè totam pervertisset, subreptâ Principis
Optimi gratiâ, omnis certè infelicitatis cumulo. Nondum
mihi summa Ejus sapientia justitiâque satis prodesse
potuit, quibus nominibus aliàs orbi toto non minùs
clarus audit, quàm aut **A DEO DATVS**, aut tot Heroum
successor, aut florentissimi regni Monarcha, bono
Reipublicæ natus: neque tamen perpetuò defuturos mihi
vereor hujus **SOLIS** radios, quibus undique diffusis
non minùs verbenam quàm cupressum conspergere atq;
exhilarare consuevit. Ipse Seneca & si innocentissimus
oçto annis, non minùs ac ego extorris fuit, eaque scripsit
quæ meam sortem præsentem solantur, & in spem
meliorem erigunt: quin imò in mediis calamitatum
fluctibus caput erigit, & suam vel in ipsa infelicitate
felicitatem deprædicat. *Qualem me cogites inquit accipe:
latum & alacrem, velut optimis rebus. Sunt autem
optima cum animus omnis cogitationis expers vacat
operibus suis & modò se* **LEVIORIBVS STVDIIS**

oblectat, modò ad considerandam sui universiq^{ue} naturam,
veri avidus insurgit. Sed quid Senecam nomino, in
aulam tandem maxima cum dignitate revocatum,
Nasone & pariter octavo exilii anno, sublato? cùm
utriusque crimini, ullum-ve fuerit an incertum, adeò
varius successerit eventus. Tantis fretus exemplis,
præcipuum duxi, fortiter adversa sustinere, meque servare
secundioribus. Fallendi ergo temporis & moræ adversæ
gratiâ, aulas Principum, bibliothecas, cimeliarchia,
avidissimè fortunatissimèque lustravi, aditum ubique
conciliante Pace aureâ, quam nunc cum Astræa terras
reliquisse, eheu! nimis & notum est & deploratum.

Exemplum mihi & iter monstraverat *Rex
Christianissimus*, cujus clementiam illis temporibus
abundè tum expertus! Jam verò LEOPOLDVS Cæsar
Augustus, quem, quod de se prædicabat Augustus, innata
probatâque mihi benignitas ad cælum efferet, qui quàm
benignè eruditos suos thesauros mihi communicari
jussent, vel ipsa posteritas, si grata fuerit, judicet: cùm,
clementissimo ejus jussu, & Viennam bis & Pragam &
Oenipontem deliciarum nostrarum oceanos ex professo
concedere integrum fuerit.

Præter eundem lubentissimè quoque sui thesauri,
paululum tamen à Cromwello detriti, cætera
præstantissimi, Sereniss. *Magnæ Britannie Rex* copiam
fecit, de quo, ut de testa apud Phædrum, dici potest,
Qualem te dicam bonam, tales cùm sint reliquie.

Quos dum sublimi veneratione pietatis nostri cultus
humilior prosequitur, non possumus non nostro &

omnium eruditorum nomine, Reginae CHRISTINÆ grates referre amplissimas, cujus summæ benignitati maximam delineationum nostrarum partem debemus, proxenetâ harum-ce rerum intelligentissimo & Cl. Viro Francisco Camelio.

Eminentissimorum insuper Cardinalium BARBERINI & MAXIMI cimeliarchiis suus etiam publico hoc nostro præconio debetur post tot bonarum litterarum Heroas & Heroïnam locus, quorum immensæ delectationi pariter ac auctoritati debetur rarissimorum Numismatum collectio, Virorumq; Cll. quibus illorum cura commissa est, electio, Caroli Moroni, & Petri Bellorii.

Cardinalis MEDICEVS Princeps, tot abhinc annis præstantiorum Nummorum non modò æstimator aut emptor, sed remunerator magnificentissimus, eam suppeditavit hujus elegantix copiam, quæ cum thesauro quocunque à me viso contendere possit.

Serenissimi Electores, Saxonicus, Brandenburgicus & Palatinus, etsi minorem hisce studiis operam impendant, gravioribus curis distenti, avitos tamen NUMISMATVM antiquorum thesauros usquequaque servant, & pro occasione adaugent, concessâ porrò, quæ ad Rempublicam litterariam usui esse potest, inspectionis atque delineationis potestate. Eam pariter insigni favore atque alacritate promovere dignati sunt Serenissimi Principes Wirtembergici & Badâ-Durlacensis.

Immensum deinde antiquitatum thesaurum à Ferrariæ Principibus munificentissimis olim coactum possidet Serenissimus ALPHONSVS Mutinæ &c. Dux: sapientiâ quàm ætate spectabilior, cujus indulgentiâ illud

multoties mihi adire licuit sacrarium, delineatorumque nummorum industriam meis, & per me orbi litterato usibus impendere.

Amplissimorum nobilissimorumque Venetorum cimeliarchia quantâ humanitate inspicienda mihi objecta sint, eum solum latere potest, qui gentis urbanitatem, comitatem, generosamque indolem non est expertus, ut ejus quâ me immeritum prosequuntur benevolentiae testimonium edere non sit necessarium. Quod elogium & in Illustris. JOANNEM Comitem A LAZARA, & plurimorum & rarissimorum Numismatum possessorem competit, ut vix æquari hoc deliciarum genere, nedum superari à quopiam possit.

Ducentas alias collectiones attentè lustravi in Galliâ, Anglia, Belgio utroque, Germania, Helvetia, Italia, notatis ubique rariis, & ad historiae arcana conducentibus. Sed utinam eò usque felix fuisset, meque ita amasset Jupiter Inventor, ut videre licuisset ingentem illum Consularium numerum, à Goltzio productum, quibus Fastos suos implevit. Verùm optandum id magis quàm sperandum videtur, cum persuasus planè sim, illos in supplementum Urfinianæ seriei ab erudito Belga fuisse confictos, cujus operâ insignis ille scalptor, in operibus suis expoliendis edendisque, maximè utebatur. Ut ut sit, nihil magis habui in votis, quàm ut verum à falso, adulterinum à legitimo, factitiumque ab antiquo discernere, quo Rempublicam litterariam hac saltem ex parte pro viribus illustrarem, quod quidem institutum non nisi cum vita deponere animus est.